

## Libet

## Octauus

ens communiter. et tunc est distinguendum de motu. quia vel capitur motus communiter sicut quod omnis actio dicitur motus. et sic est verum quod qui tollit omnem motum ad actionem etiam tollit omnem ens. quia non est aliquid ens sine operatione. cum operatio sit finis rei. Alio modo accipitur motus specialiter per motum physico. et sic potest aliquid tolli dupliciter. uno modo quo ad nostram cognitionem. et sic iterum est verum quod qui tollit motum tollit omnem ens. quia omne ens cognoscitur a nobis per motum. etiam primum mobile. Alio modo potest intelligi simpliciter et absolute. et sic est falsum. quia sunt multa entia immobilia. que non auferuntur motu ablatore.

¶ Tercio. quia nulla scientia disputat contra illas positiones que negant principia scientie. sed qui dicit omnia quiescere negat principium huius scientie. quia in scientia naturali presupponitur pro principio quod natura sit principium motus. Sic ergo per tria media apparet quod ad naturale non primet contra hanc positionem disputare.

**¶** Coringit quoad hoc contradicere illi quod apparet ad sensum. sicut sole esse bipedalis quantitas. quia hoc est falsum. ¶ Sed quod sensus capitur dupliciter. uno modo sicut quod est debite proportionatus ad suum sensibile. et sic non contradicere sensui. quod tunc sensus vere iudicat de suo sensibili. Alio modo accipitur sensus sicut quod est multum distans a suo sensibili. et sic propter distantiam non semper vere iudicat de suo sensibili. et tunc coringit contradicere sensui. Sic autem est de iudicio quantitates solis. cuius quantitate per sensum iudicamus bipedalis figure. quibus sit maior tota terra.

Fere autem adhuc et omnia dicere moueri falsum quidem. Minus autem hoc propter artem. positum quidem enim est quod natura in philosophicis principium sit motus et quietis. similiter autem philosophicum est motus. Et dicunt quidam moueri eorum que sunt non alia quidem. alia vero non. sed omnia et semper. sed latere hoc nostrum sensum. ad quos etiam quidem non determinantes qualis motum dicunt aut omnes non difficile est contradicere.

¶ Hic consequenter excludit secundum membrum quod ponebatur ab Heraclito quod dicit omnia semper moueri. Tali ratione quia contra negantes principia non est disputandum. sed dicens omnia moueri negat principia scientie naturalis. quia presupponitur in scientia naturali quod natura sit principium motus et quietis. Addit tamen Aristoteles. quod illa secunda opinio minus repugnat scientie naturali quam prima. quia quies est priuatio motus. et priuatio est minus manifesta quam habitus. et sic prima opinio repugnat manifestius scientie naturali quam secunda. Tunc ibi. Et dicit quidam moueri. Ostendit quomodo dictam positionem aliqui posuerunt. Et dicit quod modus sustinendi eorum fuit. quia dicebant hoc latere sensum. scilicet quod omnia semper mouentur. et ideo quibus sicut sensum appareat nobis quod aliqua quiescant. tamen adhuc illa sicut veritatem mouentur. Sed dicit Aristoteles quod non difficile est obijcere contra eos. quia non specificant de quali motu esset intelligendum. sed est manifestum de quibusdam moribus quod non semper sunt. sicut sunt motus grauium et leuium.

¶ Neque enim augeri neque minui possibile con-

tinere. sed est medium. Est autem similis ratio huic de eo quod est guttam conterere et nascere et lapidis scindere. Non enim si tantum effodit aut remouet gutta. aut medium in medio tempore prius. sed sicut nauis tractus est. et gutte tot tantum mouent. Pars autem illoz in nullo tempore tantum. Diuiditur quidem enim quod remouitur est in plura. sed nihil eorum motum est seorsum sed simul. Manifestum igitur quod non est necessarium si aliquid abire. quod diuiditur diminutio in infinita. sed totum aliquando abire. Similiter autem et in alteratione qualibet. Ad eum si partibile in infinitum est quod alteratur propter hoc et alteratione. sed velocius fit multotiens sicut congelatio. Amplius cum infirmetur aliquis. necesse est tempus fieri in quo sanabitur. et non in termino temporis mutari. Necesse est autem in sanitatem mutari et in aliud nullam. Quare dicere continue alterari et multum in manifestis est ambigere. In contrarium enim alteratione est. lapisque neque durior fit neque mollior. Et sicut quod fertur mirabile est. si latuit lapis deorsum latus. aut manens in terra. Amplius autem terra et aliorum unum quodque ex necessitate permanent quidem in propriis locis. mouentur autem violente ex his. Si quidem igitur quedam ipsorum sunt in propriis locis. necesse neque sicut locum omnia moueri. Quod quidem igitur impossibile sit aut semper omnia moueri. aut semper omnia quiescere. ex his et alijs huiusmodi sciet utique aliquis.

¶ Hic ponit rationes contra predictam opinionem. et primo modo quo ad motum augmenti. secundo quo ad motum alterationis. ibi. Similiter autem. tertio quo ad motum loci. calem. ibi. Et sicut quod. Quo ad primum Heraclitus posuit quod augmentum esset continuum. dicebat enim quod si aliquid augeretur in aliquo tempore et etiam augetur pro qualitate parte illius temporis. et tamen non sentiretur augmentum quod fieret in modica parte temporis. Sed Aristoteles vult quod non oportet quod si fiat aliquod augmentum in aliquo tempore quod tunc fiat pro qualitate parte illius temporis. et hoc probat per tria signa. primum est de guttis cauantibus lapidem. quia prius gutte. non cauant lapides. sed disponunt